

11+12/86

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXVI

VARIVS
ROR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
ROR VARIVS
ROR VARIVS

TOMUS 9

FASC. 62

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

| | |
|-----------------|-----------|
| In Helvetia | Fr. 14.-- |
| In Germania | DM 20.-- |
| In Austria | ÖS 140.-- |
| In ceteris | |
| Europae terris | Fr. 20.-- |
| In terris trans | |
| maria sitis | US 18.-- |

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

| | |
|----------------|-----------|
| Schweiz | Fr. 14.-- |
| Deutschland | DM 20.-- |
| Oesterreich | ÖS 140.-- |
| übriges Europa | Fr. 20.-- |
| Uebersee | US 18.-- |

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO


Cari legentes

Libello, quem manu tenetis, et Rumoris Varii tomus IX et series libellorum hoc anno editorum perficiuntur. Cum autem dies natalis Christi adventurus sit, vobis hac praefatione duos nuntios facio: Primum vobis gratias ago, quod etiam hoc exeunte anno Rumori Vario fidem praestabatis; deinde vobis pro toto collegio redactorum vota exprimam, ut felicem diem natalem Christi felicemque novum annum MCMLXXXVII celebretis! His votis tria alia addam: Primum, ut pax tandem inter homines in omnibus regionibus orbis terrarum bello vexatis restituatur; secundum, ut pax, ubi adhuc regnat, servetur; tertium, ut toto orbe terrarum homines aegrotantes sanentur, fame sitique cruciati tandem perpetuo cibo necessario aquaque recreentur.

Sit vobis novus annus ineundus felix, faustus, fortunatus!
(Sit Rumor Varius et toto anno MCMLXXXVIIo in numero amicorum vestrorum!). Valete!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann



GRATULAMUR!

Emanuel Bernard(us), sodalis societatis Latinae Helveticae Turicensis, coryphaea lucida seu praestes Latinitatis, LXXV annos natus.

Sedulo curavi humanas actiones non ridere, non lugere neque detestari, sed intellegere.


Benedictus (Baruch) de Spinoza (1632-1677)
Tractatus politicus I, 4

Emanuel autem Bernard(us), sodalis noster inclutissimus, die Lunae - secunda feria - 18^o mensis Decembris - die festo sanctorum Gratiani Caesarodunensis seu Turonensis Wunibaldique - anno 1911^o, ab urbe autem condita anno 2664^o ante diem XV^m Kalendas Ianuarias - die festo secundo Saturnali(orum) - natus est Bernae in urbe Helvetiae.

Heros autem noster Emanuel ortu Bernensis, sed civitate Curiensis Rhaetorum die Iovis - quinta feria - 18^o mensis Decembris anno 1986^o nunc diem aget seu celebrabit suum natalem seu genethliacum LXXV^{um} una cum familia in suburbio Turici, una cum Agnete Margareta uxore et cum filiis.

Vir autem ille vere Helvetius vereque popularis, homo plurimarum rerum usu doctus bonaque indole optumisque ingenii facultatibus praeditus, summa auctoritate apud omnes homines doctos non solum in patria Helvetica, sed etiam ubique vis terrarum gentiumque valens florensque, splendor, decus atque ornamentum ordinis litteratorum, praeceptor iuventutis Helveticae honoribus ornatissimus, amicus sodalisque magnanimus, qui liberaliter semper excipit contubernales convectoresque et indigenas et alienigenas pari ratione eodemque modo, vir optumus, probus, honestus, egregius, qui omnia consilia factaque ad dignitatem et ad virtutem refert revocatque, ne tantulum quidem ab aequitate, a probitate, ab integritate recedens, laetitiam et voluptatem e linguis et antiquis et modernis atque e philosophia percipiens, in familiaritatem ab omnibus receptus, ex animo a plurimis dilectus, animi quodam impetu ad omnia bona humanitatis concitatus divinoque quodam spiritu inflatus, optume etiam de memetipso

amico meritus, qui summis beneficiis officiisque me sibi per omnem vitam obstrinxit, - ut semper et protinus innocue vivat, valeat, floreat, vigeat Deo firmo benevole annuente usque ad multos annos atque integra intactaque valetudine nunc et iugiter utetur. Viro sodalique incomparabili non solum de Latinitate Graecitateque Hebraitateque, sed etiam de philosophia, de linguis et antiquis et novis eodem modo optume promerito hoc autem die sollempni natali 75^o grates laudesque imo pectore agamus persolvamusque summo omnium benevolorum consensu infinitas omnemque modum omniumque ingenia exsuperantes amplexuque fraterno eum firmiter animitus, funditus, germanitus, penitus, radicitus, communitus, imitus, largitus, cordicitus simituque medullitus artius complectamur. Quod Deus bene vortat!



AMICUS

... GRATULAMUR ITERUM!

Martinus Meier autem, ille auctor multarum symbolarum adhuc Rumore Vario divulgatarum, vir Latinitatis peritissimus, sodalis societatis Latinae Helveticae Turicensis nobis gratissimus, hoc autumno - Idibus Septembribus - amicam suam Monicam Schüriger in matrimonium duxit in vico "Wilen" prope vicum "Wollerau" ad litus lacūs Turicensis sito. Conubio autem aderant multi familiares, multi amici; quibus se adiunxerat consocia nostra operis Christina Portner (casu enim in eodem vico habitat, quo conubium factum est). Quae Martino Monicaeque optima vota non modo sua, sed etiam Rumorem Varium legentium totiusque collegii redactorum expressit. Haec vota autem hoc libello repetantur: Vivant, vigeant, valeant novi connupti! Fiat, ut matrimonio multi exoriantur et pueri et puellae; qui ipsi vivant, crescant, floreant et - olim adulti - ipsi Latinitatem, ut pater adhuc facit, colant et propagent!

Udalricus Aeschlimann

De secessu aestivo ad Pontum Euxinum peracto narratur

Aestatem praeteritam unā cum uxore septemque aliis itineris sociis ad Ponti Euxini litus peregi, quod est ad orientem solem versus, in terra illa, quae ad pedes Montis Caucasi sita est, antiquissimis temporibus terra Colchorum vocata, quo secundum poetas Iason cum ceteris Argonautis profecti sunt, ut vellus aureum (goldenes Vlies) peterent, quod praedonum more, adiutrice Medeā, abstulerunt. Cuius terrae visendae iam dudum desiderium me tenuerat, neque tantum propter fabulosos Argonautas, sed etiam vel potius Ovidii memor, miserimi illius poetae Romani, qui ibi, quamquam ad litus contrarium, quod ad occidentem vergit, tristem vitam exul degerat mortemque obierat. Cupiveram ipse cernere et experiri Scytharum illam saevam gentem, qui hostili more sagittas in auras et contra me mitterent.

Sed quam rem necopinatum! Terra illa nostrae aetatis funditus differt a terra, qualis antiquis temporibus fuisse narratur. Olim inhospitalis fuit, nostris diebus maxime hospitalis, praebens omnia, quae ad cultum pertinent, plena viatorum e tota Europa advenientium, ut decessu aestivo gaudeant. Tamen nimis confidere nolite rebus, quas narrabo! Namque donum spectandi, cernendi, vivendi mihi deest in modum terribilem. Aspectum, formam terrae vix vidi. Vidi quodam modo quidem arbores, plantas, omnino naturam novam, splendidam, exuberantem, at describere vobisque describendo ante oculos ponere nequeo. Doleo, quod ita est, sed est ita. Itaque narraturus sum plus minus fideliter, quid viderim, quamvis sit pauca, quidve sim expertus.

Incipiendum est a primo die: Turici in statione principali Russos rublos (Russische Rubel) emimus XC (nonaginta), pro quibus solvimus francos Helveticos L (quingenta)! Deinde tramine (Zug) vecti sumus Francofurtum. Francofurto aeroplano transvecti sumus Moscovam. Cum autem notum nobis esset non licere rublos in Russiam clam importare, uxor rublos sub pectore abscondidit. Anxietas magis magisque me

occupabat, ne Moscovae in aeriportu telonarius (Zöllner) rublos nostros deprehendat multetque nos et in Sibiriam nos expellat. Itaque uxori multis verbis persuasi, ut rublos Moscovae declaret aperte. Ita factum est et rublos telonario tradere coacti sumus. Quos rublos libenter amisi pro securitate nostri multandi iam causam non esse.

Ad deversorium (Hotel) sub vesperum advēniunt. Copiose, sed mediocriter cenati (vinum oblatum non est) cubitum iimus. Multa nocte experrectus ad fenestram accessi curiosus, quid de ingenti et formidolosa metrópoli Russorum videre possem. Procul aedificium giganteum caelum versus erectum vidi, quam postridie mane ad mensam deversorii universitatem Moscovae esse cōperiri. Sub meridiem continuavimus iter aëreum ad Pontum Euxinum versus, ingentem Russorum terram, prope desertam, ut videbatur, supervolantes. De aeroplano octo milia metrorum supra terram volante, ut scitis, vix quicquam in terra cerni potest. Duabus horis post caeruleum quicquam nobis apparuit: Pontus Euxinus videlicet, neque multo post in aëriportum urbis "Soci" adterravimus (ut novo pro re Romanis ignota utar vocabulo).

In oppido Soci, quod a non minus CL milibus hominum habitatum est, accepti sumus in deversorio nomine "Kamelia", satis magno neque pessima qualitate. Cena iterum copiosa, sed satis mediocris, vinum nobis rogantibus datum non est. "Vae victis!" exclamavi, "vae eis, qui desiderio Russiam videndi victi sunt!" Socii mensae mihi irridebant dicentes non esse calamitatem unum diem sine vino degi (zu verbringen). Quibus sententiis ego acidodulciter (sauer-süss) arridebam. Neque ignorabam potus alcoholicos sperni ab illo tempore, quo dominus Gorbatschov rector Russorum factus sit. Ante horam quintam postmeridianam potus alcoholici obtineri nequeunt. Sed etiam post horam quintam vultus acidi respondent vinum petenti. Tergiversantur pueri cauponii (Kellner) variis verbis, dicentes vinum non adesse vel cellarium (Kellermeister) aegrotum esse et cetera. Tamen ex illa calamitate evadendi occasio dabatur, fuit locus, ubi vinum obtinebamus, fuit taberna popina (Bar), quam post horam quintam visitare et frequentare licebat, in supremo tabulato (Stock) deversorii sita, sub tecto, ut ita dicam, neque dubitabitis, quin frequens vesperi post cenam

illuc ascenderim. Sed illic in alto non solus eram, uxor mecum ceterique itineris socii unā mecum vini obtinendi occasione utebantur. In illo alto podio (Balkon) sub Iove sereno sedere et vinum sorbere solebamus solem occidentem et mare vespertina luce fulgens spectantes. Infra nos iuxta litus neque a nobis procul tramina Russica (russische Eisenbahnen) satis magno strepitu praetervehebantur.

Diebus profestis (an Werktagen) programma diurnum hoc fuit: Mane post ientaculum usque ad meridiem in scamnis (Schulbänke) sedentes linguā Russorum instituebamur. Quae lingua re vera difficultatibus abundat. Similiter atque sermo Latinus sex casibus utitur, similis est sermoni Britannico in usu formae progressivae, declinatio adiectivi sicut in nostro theodisco sermone differt prout (je nachdem) attributive vel praedicative usurpatur (gebraucht wird). Res, quam maxime mirabar, est haec: In enuntiatio (Satz) negativo subiectum usurpat casum genitivum, e.g. in locum dicendi "Paulus non adest" dicunt, Latine versum: "Pauli non adest" vel potius: "Pauli non hīc".

Magistra nostra erat eximia formositate, sed ad artem docendi parum apta, continenter Russe loquens neque respondens ad interrogata nostra, ita ut prope nihil profecerimus. Post meridiem cottidie nos refecimus et recreavimus ad litus, sermocinantes et in mari natantes.

Cicero noster (Reiseführer), ut ita dicam, fuit virgo gratiosa, callida, nostrā linguā promptissima. Saepe post meridiem nos invitabat ad aliquam excursionem, sive ad visendum aliquam rem visu dignam, sive ad epulas vespertinas, quibus delectabamur in taberna famosa, nomine "pistrinum vetus" (Alte Mühle), quae sita est in intima valle quadam Caucasi, quo autoraeda vehebamur. Ibi excellenter cenavimus, multum vini optimi regionis sorbentes, ita ut postea multa iam nocte per silvam perobscuram usque ad autoraedam meantes viam vix cerneremus.

Hodie retro spectanti in illam peregrinationem (Auslandsaufenthalt) ad Pontum Euxinum peractam videor mihi iucundas ferias degisse in populo amabili. Libere excurrebamus, ambulabamus in urbem Soci et in loca, quae urbi circumiacent, numquam custoditi ab eis, quibus publicae securitatis

cura delata est. Vita cotidiana illorum hominum a nostrā sane differt. Una ex parte mihi visa est tristior, alia ex parte homines indigenae paucis rebus contentiores mihi sint visi quam nos bonaque externa minus petentes, plus animi quam corporis voluptates anhelantes. Quae sententia et opinio mea vobis certo mira videbitur, postquam me illis diebus vino ceterisque bonis externis valde deditum fuisse sum confessus.

Dr. Emanuel Bernard



Litterae ad legentes

DE VERA ORIGINE SALUTATIONIS "(H)AVE!" APUD VETERES ROMANOS OLIM USITATAE.

Amica autem Barbara Maria nostra Maior Brunnensis in numero III/IV, fasciculo 58^o tomi 9¹, commentariorum nostrorum periodicorum quibus nomen "RVMOR VARIVS" de salutatione "(H)ave!" diligentissime nosmet certiores fecit, quod grato animo clamoreque plausuque excepimus approbavimusque. Sane quidem certum exploratumque est, quod Barbara nostra Maria scripsit de salutatione more "Have!" apud Romanos olim data redditaque, sed - ut verum aperte fatear et ut mea fert opinio! - salutatio illa re et veritate quidem a prima origine numquam erat vere Romana, nam ortam esse principio e salutatione quadam Pheonicia originemque duxisse a salutatione postea Poenica (Punica) puto existimoque. Hodie tandem inter omnes fere constat homines doctos salutationem illam initio Phoeniciam aut Poenicam (Punicam) aliquanto post a Romanis esse susceptam (Compara quaeso Grammaticam Phoenicio - Punicam a Ioacimo Friderico (J. Friedrich) Romae in urbe anno 1951^o editam.)

Viri autem vere Romani perraro salutatione illa "Have!" usi sunt. Marcus autem Tullius Cicero - ut exemplum adferam - salutationem illam "Have!" plane et omnino vitavit, illa salutatione numquam nusquamque est usus. Salutatio autem Poenica "Have!" principio erat salutatio (ad)venientis, postea etiam decedentis (hominis). Cicero autem adveniens salutatione "Salve!" ("Salvete!", Graece: Chaĩre, chaĩrete!), decedens seu abiens salutatione "Vale, valet!" (Graece: Errōso, errōsthe!) usus est.

Quod nunc ad formam "Have!" attinet, eam proprie revera formam meliorem prioremque esse constat, nam Poenice verbum "Have!" cum littera "Het" fortiter gutturali incipit. Sane quidem in ore Romano littera illa maxime gutturalis "Het" vix pronuntiari poterat. Tandem prima littera h omissa est et forma "Ave!" superavit. Hoc illo modo forma principio melior et pura et legitima "Have!" tandem uti forma vulgaris sensibus est percepta et obsoleta est existimata atque forma "Ave!" - ut ita dicam - "causam obtinuit".

Quod nunc ad propriam significationem salutationis Poenicae "Have!" attinet, ducit seu flectit illa a verbo Phoenicio "hawath", id est vivere. Consequenter salutatio illa "Have!" est imperandi modi forma seu imperativus et habet significationem "Vive!". Invenimus etenim verbum illud palaeosemiticum etiam in Scriptura Sacra, in libro Genesis III, 20 (Hebraice: Hava, vulgo Eva, nomen primae mulieris): et vocavit Adam nomen uxoris suae Hava, eo quod mater esset cunctorum viventium.

Pace bonaque venia omnium benevolentium legentium hoc etiam adiungere ausim: lingua autem Poenica Carthagine atque etiam usque ad saeculum V^m vixit, de quo apud Aurelium Augustinum (354-430), filium Patricii Monnicaeque, legi potest.

Primam Romani scientiam linguae Poenicae seu Punicae habuerant occasione belli Poenici Iⁱ (264-241) tali tempore data et oblata. Tempore autem belli Poenici IIⁱ (218-201) atque belli Poenici IIIⁱ (149-146) magis magisque de lingua Poenica compererunt, sed rite diligenterque eam linguam palaeosemiticam difficillimam investigare non successerunt, nam illam linguam satis curateque investigare non parvam

esse rem constat, sed nimirum maximam. Tamen nihilominus apud Titum Maccium Plautum (250-184), aequalem etenim temporum illorum atque praecipue temporibus belli Poenici IIⁱ, in comoedia quae "Poenulus" inscribitur, in capitulo V^o, 1-3, aliqua verba Poenica in transcriptione Romana inveniri possunt.

Sed haec quidem hactenus de Poenis et de lingua Poenica. Haec habui de origine salutationis "Have!" quae vobis, o legentes benevoli, ut mea fert opinio dicerem. Ex his, quae breviter exposuimus, satis abunde intellegi posse puto, unde salutatio "Have!" revera originem traxerit. Sub finem explicationum expositionumque mearum adiungere mihi licitum concessumque siet aliqua exempla quomodo admodum probabiliter salutatio "Have!" scripta fuisset et in litteris vetero-, medio- et neoPunicis atque Hebraicis (veteroHebraicis et Hebraicis quadratis). "Vivite et valet!" - Dixi.

𐤆𐤃𐤐𐤃
 𐤆𐤃𐤐𐤃
 𐤆𐤃𐤐𐤃
 𐤆𐤃𐤐𐤃
 𐤆𐤃𐤐𐤃
 𐤆𐤃𐤐𐤃
 𐤆𐤃𐤐𐤃

VeteroPhoenicice (saeculo XIII^o a.Ch.n.)

MedioPhoenicice (saeculo V-III^o)

Punice (saeculo III^o a.Ch.n.)

NeoPunice (saeculo I^o p.Ch.n.)

VeteroHebraice (saeculo III^o a.Ch.n.)

Hebraice litteris quadratis

AMICUS

SOLUTIONES

ex aenigmate in RVMORE

VARIO 9+10/86 publicato

hic demonstrantur:




| | | | |
|----------------|----------------|----------------|----------------|
| ¹ C | ² R | ³ A | ⁴ S |
| ² R | I | X | A |
| ³ A | X | E | M |
| ⁴ S | A | M | O |

Carmina natalicia

Auf dem Berge, da wehet der Wind

(Volkslied aus Oberschlesien)

Auf dem Berge, da wehet der Wind,
 Da wiegt die Maria ihr Kind.
 Sie wiegt es mit ihrer schneeweissen Hand,
 Sie hat dazu kein Wiegenband.
 "Ach, Josef, lieber Josef mein,
 Hilf mir doch wiegen mein Kindelein."
 "Wie soll ich dir denn dein Kindlein wiegen?
 Ich kann ja kaum selber die Finger biegen."
 Schum, schein, schum, schein.



In monte, en, ventulus flat

(Cantus et modulus popularis ex Alta Silesia)

In monte, en, ventulus flat,
 Maria infantem (in cunis) agitat.
 Nivea manu iactat eum,
 Non habet pro cunis vinculum.
 "Heus, Iosephe, care Iosephe mi,
 Ad movendum infantem adveni."
 "Quid te infantem iuvabo iactare?
 Paen' ipse digitos possum curvare."
 Eheu, Eheu.

Lasst uns froh und munter sein

(Aus dem Rheinlande)

Lasst uns froh und munter sein
 Und uns recht von Herzen freun!
 Lustig, lustig, trallerallera!
 Bald ist Weihnachtsabend da!

Dann stell' ich den Teller auf,
 Niklaus legt bestimmt was drauf,
 Lustig, lustig, trallerallera!
 Bald ist Weihnachtsabend da!

Wenn ich schlaf', dann träume ich,
 Jetzt bringt Niklaus was für mich.
 Lustig, lustig, trallerallera!
 Nun war Weihnachtsabend da!

Wenn ich aufgestanden bin,
 Lauf ich schnell zum Teller hin.
 Lustig, lustig, trallerallera!
 Nun war Weihnachtsabend da!



Has arbores natalicias vobis
 legentibus pinxerunt Fabianus (X
 annos natus) et Simona (XII an-
 nos nata) Aeschlimann.

Simus laeti vividi

(E Rhenania)

Simus laeti vividi
 Atque boni animi!
 Laete, laete, trallerallera!
 Mox est Christi vespera!

Pono clam catillum tum,
 Nicolaus dat donulum,
 Laete, laete, trallerallera!
 Mox est Christi vespera!

Somnis enim video
 Niclaus affert quid, eho!
 Laete, laete, trallerallera!
 Fuit Christi vespera!

Simul ut erexi num,
 Curro ad catillum tum.
 Laete, laete, trallerallera!
 Fuit Christi vespera!


Versio Latina: AMICUS

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQUE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMRI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS FEBRVARIIS EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

ad libram



- | | |
|--|---|
| 1 intra versaris | 30 astrum, quod prima luce cerni potest (Gen.) |
| 5 ille imperator Romanus, qui libros de Etruscis (nobis non traditos) composuit et propter cenam boletorum notus est | 31 ille locus Athenae, ubi Plato philosophus docere solebat (Dat.) |
| 8 festivum vel quoque anno celebratum (Acc.) | 35 me contuli |
| 10 post urbem conditam (breviter) | 36 actio, qua in senatu Romano lex mutanda vel tollenda postulabatur |
| 12 delectas | 38 splendidae venustati |
| 14 philosophus Graecus celeberrimus, qui ipse nullam litteram scripsit (Abl.) | 41 qui omnes alios superaverunt |
| 16 ferus regionibus septentrionalibus vitam agens cornibus ramosis (Dat.) | 42 filiae |
| 19 tempestatibus erosus | 44 urbs in Hispania Baetica (vel meridiana) sita |
| 20 illa Musa, quae caelestia curat | 47 flentes eas fundunt (Acc.) |
| 22 qui noctu quam die aliquid agere mavult | 49 porta ciborum |
| 24 ventus calidus e regionibus inter ortum solis et meridiem spectantibus flans | 50 socia amata |
| 25 gloria | 52 illud tempus gratum, quod hieme fugata flores teporemque reducit (Abl.) |
| 26 dignus recordatione | 53 coniunctio Latina |
| 29 instrumentum ad navem incitandam aptum (Abl.) | 54 puella, quae quodam instrumento musico canit |
| | 56 toties Augusto imperatore templum dei, qui in numero I ad perpendiculum investigandus est, clausum esse fertur |

57 flumen, quod in Padum
fluvium influit (Gen.)
60 herba acerbi saporis
61 motio vehemens animi
62 vescebaris
63 incipi
64 dominis
65 diu moratus

67 in quibus picturae pingi
vel leges inscribi solent
(Dat.)
69 perstaturi et serio fac-
turi
72 cupidine desiderioque
alicuius ureremini
73 viro veteri

64 regio Graeciae, ubi anti-
quis temporibus Olympia
committebantur (Abl.)
66 baccae dulces, quae autum-
no maturantur (Acc.)

68 urbs veterrima in regione
Babyloniensi ad Euphratem
fluvium sita
70 interiectio Latina
71 pars interior corporis
humani


Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann

ad perpendiculum


1 deus Romanus biceps
(Dat.)
2 sine ulla mora
3 herba circum arbores se
erigens, Bacchi et Apol-
linis sacra
4 pars templi antiqui
5 numerus 150
6 questum funebrem
7 bona exspectabo
8 ad spatium centum annorum
pertinens
9 una earum partes, quibus
corpus humanum sustinetur
(Gen.)
11 ille tribunus plebis, qui
olim Romae legem tulit,
qua conubium inter ple-
beios et patricios con-
cessum est (Dat.)
12 ille heros Graecus, qui
equo alato Pegaso adiu-
vante Chimaeram vicit
13 deponat
15 praesidia
17 flos quidam (Dat.)
18 causam praetenderes
21 secede!
23 matri

24 locus planus latusque
27 venator Boeotius maxima
statura, ab Aurora amatus
et a Diana necatus
28 praesentiam vel vestigem
32 sociis vel coniugibus
33 largire!
34 pronomen possessivum La-
tinum (Voc.)
35 via
37 captiva ab Achille amata
in castris apud Troiam
sitis (Abl.)
39 cubantibus vel cenantibus
40 iterum secum cogitare
43 hilaritati vel studio
45 causae (Gen.)
46 gratiam et favorem vultu
ostendere
48 semina in humum imponas
51 hic numerus aenigmati-
s Latine
55 qui ius iurandum fecerunt
58 materia, ex qua instru-
menta quaedam ad lucem
efficiendam conficiuntur
59 instrumentum ad pisces
capiendos aptum



Facete lepideque dicta

Nescio, quid faciam....



Puer cauponius: "Quid optare velis, quacumque volueris operam tibi prae-
stabo, utrum vinum album an rubrum
bibere in animo tibi est? Quid
cogitas, quid tibi vis?"
Hospes (seu deversor): "Nihil pro-
fecto ad me attinet, nihil mea
interest refertque, nam - eheu memet
miserrimum! - laboro abhinc decem
annos iam achromatopsia (caecitate
colorum)."

AMICUS

Tractatio per se ipsum periculosa

Alter: "Numquam medicum consulo, semper ipse mihi medeor.
Nam nostris temporibus tot libri de arte medicina
exstant."

Alter: "Sed cave, ne aliquando propter mendam typographicam
(=Druckfehler) moriaris."

Parvus error

Tempore consulendi aegrotos (=Sprechstunde) praeterito medicus tandem paululo se quieti dedit recreavitque. Sed denuo tinnitu telephoni excitatus est. Auscultabulum (=Hörer) cepit et paulo post adiutricem (=Praxishilfe), puellam formosissimam, quae in conclavi vicino res in ordinem redigebat, vocavit: "Da mihi, quaeso, propere riscum (=Koffer) meum! Modo iuvenis aliquis telephonavit et dixit se periturum nisi quam celerrime ad eum veniam." Tum adiutrix dulciter subridens: "Veniam peto, domine doctor", ait, "sed illud telephonema (=Anruf), puto, ad me pertinuit."

Daniel Weissmann



De erithaco rubeculo fabula

Inter aves, quae etiam hieme frigida in regionibus nostris sedes habent et misericordiam hominum implorant, est avicula illa nomine erithaci rubeculi (Rotkehlchen). Qua de ave fabulā hāc narrabitur. Originem ducit e libro quodam Selmae Lagerlöf.

Dominus noster mundum creans magna cum diligentia avibus colores attribuit. Vespere autem colores in patera divina defecerunt. Carduelis (Stieglitz) sane hodie sine coloribus esset, nisi Dominus penicilla pennis eius purgavisset. Avicula quaedam autem in manu Domini dextra sedens omnibus coloribus carebat. Dominus: "Nomen, inquit, tibi sit erithaci rubeculi!" Avicula laeto animo avolavit. Mox autem se ipsam contemplari cupivit. Aqua fluvii ei imaginem corporis reiecit. Cum autem videret se colore cano esse, magna tristitia affecta est. Ad Dominum revolat et: "Cur nomen id, inquit, mihi datum est, quamquam nulla penna rubra corpus meum ornat?" Dominus autem clementer subri-

dens: "Nomen tibi, inquit, iure datum est, nam aliquando id merebis."


Avicula avolat, de Domini verbis cogitans. Per multa saecula nullam occasionem rubescendi praetermittit, sed pennae eius colorem non mutant.

Quodam die autem avicula cum pullis ante moenia Hierosolymae sedet. Narrat pullis de primo erithaco rubeculo. "Etiamnunc, inquit, aves canae sumus, numquam rem faciemus." Et pulli tam tristes sunt, ut mater eos consolari non possit.

Ecce portae urbis aperiuntur! Ingens multitudo hominum effunditur: equites, pedites, feminae flentes, pueri clamantes, sacerdotes summa dignitate praediti. Avicula autem pullis: "Nolite spectare, nam tres viri capitis damnati urbe educuntur! Mox in cruces tollentur. Quam crudeles homines sunt! Unus virorum etiam corona spinea afficitur. Quam pulcher est is homo! Ingenio bono esse videtur. Oportet eum ab omnibus amari." Et avicula magna misericordia movetur. Horae praetereunt. Avicula non avolat, sed de viro pulchro cruci suffixo valde dolet. "Si aquila essem, inquit, clavos e manibus illius miseri eriperem. Sed avicula exigua imbecillaque sum." Tamen iterum iterumque virum cruciatum circumvolat. Postremo animum capit et rostro spinam aliquam e fronte viri extrahit. Ecce guttula sanguinis in avis pectus cadit! Cum avicula in nidum revolet, pulli exclamant: "Pectus tuum vere rubrum est, est rosis rubrius!" Mater autem: "Modo guttula sanguinis est, inquit, quae aqua diluetur."

Aqua autem colorem rubrum diluere non potuit. Pulli quoque adolescentes colore rubro affecti sunt. Usque ad aetatem nostram sane pectora erithacorum rubeculorum omnium colore rubeo lucent.

Barbara Maier



MORTES

Coryphaeus (vir praestans) Latinitatis Andreas Thierfelder (Theragrus) LXIII fere annos natus vita defunctus.

Ut sementem feceris, ita metes.

Marcus Tullius Cicero, de finibus II, 65

Vir autem praestans seu coryphaeus praestesque Latinitatis e grege consortioneque palaeophilologorum nostri saeculi optumorum unus, princeps inter principes huius reipublicae litterariae civitatisque vir(or)um litteratorum, Andreas Theragrus, die Iovis, quinta feria, III^o mensis Aprilis anno 1986^o Mogontiacy Vangionum in oppido ad Rhenum in nosocomio Sanctae Hildegardis hora sexta, minuta decima, firmissima fidei evangelicae fiducia mortalitatem explevit. Vixit autem annos LXXXII, menses IX, dies XIX.

Martinus autem Volfgangus Andreas Theragrus die Lunae - secunda feria - XV^o mensis Iunii - die festo sanctorum Viti Modestique Sicularum - anno 1903^o Zviccaviae ad Muldam Zviccavensem (vulgo Germanice: Zwickau an der Zwickauer Mulde) in oppido Saxoniae est natus. Loci autem cunabulae seu cunarum nomen "Zviccavia" sine ullo dubio originem trahit e lingua Sorabica, sed significatio nominis illius haud facul exacte interpretari potest. In libris Latine confectis medii aevi nomen oppidi etiam "emergitur" sub nomine "Cycneae coloniae", nam quibus oppidum circumiacentibus locis regioni etenim vicinae nomen impositum est "Cycneus campus seu ager" (vulgo Theodisce: Schwänenfeld). Inde etiam cycnus seu olor in scuto heraldico oppidi "emergitur". Oppidum autem Zviccavia seu Cycnea saeculo iam XII^o in codicibus antiquis est adnotatum. Zviccaviae seu Cycneae in oppido Saxoniae etiam vir inclutus Germanus est natus: Rupertus Alexander Schumann(us), 1810-1856, compositor cuius fama per omnes est propagata terras gentesque.

Puer autem Martinus Volfgangus Andreas gymnasium regium seu principale quod dicitur (vulgo Germanice: Fürstenschule) perillustre praeclarumque Sanctae Aefrae, gymnasium Afranum regium seu principale (Germanice: Fürstenschule St. Aefra) introiit Mis(e)niae ad Albim (Germanice: Meissen an der

Elbe) in oppido Saxoniae, ubi iam summa indole praeditus ingenique facultatibus inter omnes eminebat excellebatque discipulos. Gymnasium autem regium seu principale quod dicitur Afranum iam anno 1543^o a Mauritio electore Saxoniae (1521-1553) - Iohanne Rivio (1500-1553) theologo humanistaque celeberrimo eius temporis suasore - pro alumnis protestanticis institutum olim anno 1205^o fundatum fuerat ut Coenobium Augustinorum Sanctae Aefrae dicatum. Inter illos, qui gymnasium perillustre praeclarumque illud frequentaverunt, Germani illustres inclutique doctissimique, scriptores poetaeque fuerunt hi: Christianus Timotheus (Germanice: Fürchtegott) Gellert(ius) (1715-1769), Theophilus (Germanice: Gottlieb) Vilhelmus Rabener (1714-1771), Theophiles (Germanice: Gotthold) Ephraim Lessing(ius) (1729-1781) atque Augustus Fridericus Ernestus Langbein (1757-1835). Schola autem illa quae gymnasium regium seu principale Afranum dicitur omnibus viris doctis bene nota usque ad annum 1942^m viguit, nostris autem temporibus, his nostris diebus, nunc est Academia georgica societatum cooperativarum agrariarum (vulgo Germanice seu Theodisce: Hochschule für Landwirtschaftliche Produktionsgenossenschaften) Reipublicae Germanicae Democraticae.

Examine quod maturitatis dicunt in gymnasio Afrano anno circiter 1922^o feliciter superato universitatis academicis studiis finitis doctoratoque philosophiae anno 1930^o excellenter adepto habilitationeque summa contentione sibi comparata ab anno 1934^o tandem ad docendi munus academicum accessit primo Lipsiae in oppido Saxoniae, deinceps ab anno 1938^o Rostochii sive Rhodopoli ad Varnoviam (vulgo Germanice: Rostock an der Warnow) Mecklenburgiae, ab anno 1941^o Giessae Hassorum ad Loganam (Germanice: Giessen an der Lahn). Tum inter annos belli mundani seu pancosmii IIⁱ ad arma vocatus a scribendi opera ad militiam se conferre coactus munus academicum interrumpere munereque interpretis linguarum et Russicae et Italicae fungi impulsus est. Anno autem 1945^o sub finem belli a Britannis in Italia captivatus usque ad annum 1947^m in Aegypto vixit captivus belli Anglorum. Tum ab anno 1950^o in vitam academicam revertit et Mogontiacy Vangionum in oppido ad Rhenum in universitate munus professoris linguarum antiquarum denuo

suscepit. Anno autem 1971^o tandem rude donatus in otium recessit, sed indefessus linguis et antiquis et novis assidue studere nullo tempore desiit.

Quod nunc ad memetipsum attinet, egomet - quod valde nunc etiam et etiam doleo! - serius quam volui quasi solum praeteriens Andream nostrum tunc temporis aetate iam provecta exactaque atque grandaevum conveni occasione consessus annui societatis Latinae (Saravipontanae) Mogontiacy Vangionum in oppido ad Rhenum quondam data et oblata. Fuit autem Andreas noster anno 1976^o etiam unus illius societatis perillustris nunc inter omnes homines doctos satis diu notae fundatorum.

Opera autem omnia academica defuncti nostri spectatissimi accurate dinumerare ordineque enumerare hoc fieri re et veritate nullo pacto potest. Attamen omnibus Latinitati cupidissime indulgentibus id unum vehementer commendare propositum haberem (opus): ultimam namque editionem Herimanni Menge(i) (1841-1939) "Repetitorii syntaxeos stilisticaeque Latinae" (vulgo Theodisce: Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik) ab Andrea Theragro anno 1953^o singulariter retractatam expolitamque.

Calamum stilumque doctor, praeceptor, auctor, professor, heros noster summis ingenii facultatibus praeditus vi mortis coactus deposuit, sed - sementi curiose accurateque facta! - messis fructusque eventusque successusque operarum laborumque studiorumque doctorum eius ubique terrarum gentiumque haud difficulter inveniri potest. Vir autem ille dote ingenii tam evidentem praeditus, de Latinitate Graecitateque, insuper etiam de multis aliis linguis et antiquis et novis optime promeritus corporaliter quidem e conspectu nostro se abstulit, attamen spiritualiter inter nos remanebit nunc et iugiter memoriamque eius nulla delebit oblivio.

AMICUS



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)


SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



Nomen emittentis et inscriptio cursualis:


AZ

8050 Zürich

11+12/86

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXVI



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

TOMUS 9

FASC. 62